

ejus sanctissimæ Passionis, et per intercessionem B. Mariæ, et omnium Sanctorum, se vitam æternam consecuturum ;

Ut toto corde diligit, et maximè diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, quâ illum diligunt Beati, Sanctique omnes ;

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offensa, qualitercumque contra Dominum Deum et proximum commissa ;

Ut ex corde ob amorem Dei parcat omnibus qui sibi quoquo modo fuerint molesti, aut inimici ;

Ut ab iis veniam postulet, quos aliquando dictis aut factis offendit ;

Ut quem patitur dolorem, et morbi molestiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum patienter toleret ;

Ut si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cavere, et ejus mandata servare.

*Hortetur præterea ut, eo modo quo potest, saltem ex corde, ita per intervalla precetur :*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

In te, Domine, speravi ; non confundar in æternum.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum : redemisti me, Domine Deus veritatis.